



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Vetus auctor vitae Ludovici Pij Imperatoris, ad annum DCCCXXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14678

Archiepiscopo , sine mora omnes pari
consensu Tructesindum super vos elegis-
setis Abbatem.

*Vetus auctor vitæ Ludovici Pij Impera-
toris , ad annum D C C C X X X V .*

TRANSSEGIT ergo Imperator maximam partem hiberni temporis Aquisgrani ; indéque profectus est ad Theodonisvillam ante Natalem Domini ; ubi etiam populus , cui præceptum fuerat , advenit . Vbi consistens , contra quosdam Episcopos de sui dejectione conquerebatur . Sed quum quidam in Italiam configissent , quidam vocati obedire noluissent , solus Ebo eorum qui impetebantur affuit . Qui quum rationis reddendæ causa super talibus urgeretur , caufabatur se solum relictis omnibus , in quorum præsentia hæc facta fuerant , urgeri . At verò ceteri Episcopi , quum obtenderent necessitatem præsentiaæ , excusarent autem voluntatem innocentiæ ; idem Ebo tandem molestè ferens talibus extædiari , consilio petito aliquorum Episcoporū , ipse in se quandam confessionem prædicavit ; confirmavítque se & indignum sacerdotio ; & irre-

vocabiliter eo abstinere iudicavit. quod
& Episcopis & per eos Imperatori con-
tradidit. Quo facto, AGOBARDVS
Lugdunensis Archiepiscopus, qui evo-
catus ad satisfactionem venire distulit,
quam ter esset evocatus, ab Ecclesiæ
præsulatu semotus est, ceteris, ut dixi-
mus, in Italiam fugientibus.

Idem auctor ad annum DCCCXXXVI.

PROXIMVM huic Placito Con-
ventum Imperator in pago Lugdu-
nensi habuit tempore æstiuo, in loco qui
vocatur Stramiacus, cum Pipino & Lu-
dovico filiis. Nam quod Lotharius non
affuit, invalentia ægritudinis supradictæ
obfuit. In quo causam Ecclesiarum Lug-
dunensis atque Viennensis vacantium
ventilari fecit; eò quod Episcopi du-
dum illarum, AGOBARDVS quidem
jussus ad rationem non venerit redden-
dam, Bernardus antem Viennensis af-
fuerit quidem, sed rursus fugam inierit.
Sed hæc quidem res imperfecta reman-
fit, propter absentiam, ut prædictum
est, Episcoporum.